nominum, hinc à natura, inde à gratia origo repetita; illis vt salua sit sua dignitas, & maior in dies accedat; alio plane ad vtrumque, Te, & nos animo comparatos esse oportet. Equidem ad Tuum, nedum officium, sed etiam decus maximum pertinet, vt à Familia regnatrice & victrice Orientis, excepti cognominis prorsus obliuiscare; alterius, quod secunda generatio indidit, memineris semper, & totus in illo implendo incumbas: nos vero remissâ tibi prioris nominis excolendi curâ, posterioris rationem habeamus. Nec dubito quin sapientes, & ab omni æmulatione ac partium studio alieni homines, hanc nostri iudicij æquitatem sint probaturi; & quas illis partes assignamus reuerentiæ, Te ex Tuis natalibus suspiciendi, & rerum humanarum ex Tuo casu admirandi vices, libenti excipiant animo, & accurate exequantur: nec contenti id genus obsequiorum Tibi exhibuisse, causæ Tuæ vindicias suscipiant, cum aliqua in æmulos indignatione, quod futilibus suspicionibus, certa Tuæ originis argumenta eleuent, & per summam cæcitatem, aut nequitiam, duobus Ecclesiæ nobilibus Ordinibus Melitensium Equitum, & Dominicanorum, quæ à Te in illos defluxit, gloriam, totis viribus ereptum eant. Nec propria tantum & priuata est hæc duarum Familiarum, sed publica & communis Christiani nominis causa, quæ ex Tuo casu graue & longum à viginti, & vltra annis bellum accendit, adhuc multo diuturnius futurum: & post tot fragores armorum, tot vrbium obsidiones, post tot pugnas terra mari-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 210:4, [12] - -
PUBLIC DOMAIN